



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **SUIDNICIENSIS** * IN POLONIA NOVA

CONDITUR DIOECESIS SUIDNICIENSIS. Multos fructus spiritales exoptantes inter populum Silesiae orituros, libenter
sane accepimus postulationem quam Nobis praesentaverunt Venerabilis Frater Noster Henricus Romanus S.R.E.
Cardinalis Gulbinowicz, sacrorum Antistes Vratislaviensis, et Venerabilis Frater Thaddaeus Rybak, Episcopus
Legnicensis, audita sententia Conferentiae Episcoporum Poloniae, ut ex quadam parte ecclesiasticarum iis commissis
circumscriptionum nova dioecesis erigeretur. Quamobrem, favente voto Venerabilis Fratris Iosephi Kowalczyk,
Archiepiscopi titulo Heracleensis et in Polonia Apostolici Nuntii, de consilio Secretariae Status, Nos Apostolica Nostra usi
potestate quae sequuntur decernimus: ab archidioecesi Vratislaviensi seiungimus decanatus: *Bystrzyca
Kłodzka, Dzierżoniów Południe, Dzierżoniów Połnoc, Kamieniec Ząbkowicki, Kłodzko, Kudowa
Zdrój, Lądek Zdrój, Międzylesie, Nowa Ruda, Polanica Zdrój, Świdnica Śląska Wschód, Świdnica
Śląska Zachód, Ząbkowice Śląskie*; a dioecesi Legnicensi separamus decanatus: *Bolków,
Głuszyce, Gościsiów, Jawor (sed cum sola paroecia Gniewków), Strzegom, Świebodzice,
Wałbrzych Południe, Wałbrzych Połnoc, Wałbrzych Zachód*, atque ex ita distracto territorio
novam dioecesim constituimus *Suidniensem* nuncupandam. Huius novae dicionis sedem in oppido v.d.
Świdnica constituimus ecclesiamque paroeciale inibi sitam, Deo dicatam in honorem S. Stanislai, Episcopi et Martyris,
et S. Venceslai, Martyris, ad gradum dignitatemque Ecclesiae Cathedralis evehimus. Novam praeterea hanc
dioecesanam communitatem suffraganeam constituimus Ecclesiae metropolitanae Vratislaviensi eiusque Episcopum
subdimus metropolitico iuri Archiepiscopi illius Sedis. Simul ac dioecesis Suidniensis erectio ad effectum deducta fuerit,
eo ipso sacerdotes Ecclesiae illi adscripti censeantur in cuius territorio ecclesiasticum officium detinent; ceteri vero clerici
Seminariique tirones Ecclesiae illi incardinati maneant vel incardinentur in cuius territorio legitimum habent domicilium.
Documenta et acta quae conditam hanc dioecesim eiusque clericos, fideles et bona temporalia respiciunt, ad eandem
Curiam mittantur ibique in tabulario serventur. Quod vero ad Consilia in dioecesi instituenda attinet necnon Curiam
episcopalem et Seminarium, sacerdotum formationem, bonorum ecclesiasticorum administrationem, sede vacante
administratoris electionem, fidelium iura horumque similia, serventur quae sacri cano es praescribunt. Ad Seminarii
alumnorum institutionem quod respicit, iuris communis serventur praescripta, prae oculis habitis Congregationis pro
Institutione Catholica praceptis. Cum fas erit, selecti alumni vel sacerdotes ad studia complenda Romam mittantur. Haec
autem ad singula Nostra mandata exequenda superius commemoratum Venerabilem Fratrem Iosephum Kowalczyk
destinamus, universas necessarias et oportunas ei tribuentes facultates, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur
quemlibet ministrum in ecclesiastica dignitate iam constitutum, onere iniuncto quam primum ad Congregationem pro
Episcopis authenticum exemplum actus eiusdem peractae exsecutionis remittendi. Hanc denique Constitutionem

Nostram tam nunc quam in posterum ratam esse iubemus, contrariis quibuslibet causis haudquaquam
obsistentibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesimo quarto mensis Februarii, anno Domini bismillesimo
quarto, Pontificatus Nostri vicesimo sexto.*

ANGELUS card. SODANO

Secretarius Status

IOANNES card. RE

Congr. pro Episcopis Praef.

Leonardus Erriquenz, *Protonot. Apost.*

Brennus Chestle, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. XCVI (2004), n.7, pp. 388-390 © Copyright 2004 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana